Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3107

Quelle:
Copyright:

Auguſtiſſime Cæſar, hæc eſt uera et certa relatio (lapſibus chronologicis exceptis) *quomodo deuotus hic liber tot ſæculis per tot Regum* (circiter octo) *Principum ac Comitum manus ad meum parentem peruenerit; quo mortuo alter meus frater Stephanus Tayler, qui nunc in Anglia uiuit, librum hunc cuſtodiuit, et mihi tandem id deſideranti per ſecuras uias transmiſit. Hoc itaque antiquiſſimum et rariſſimum opus tot Regum Procerumque, et forte nonnullorum ex iis ſanctorum* (quod non putem) *manibus, tot ſæculorum* (unius et alterius) *decurſu tritum Sacratiſſima Maieſtas veſtra clementer euoluere et reuidere dignabitur; unde noſtrorum olim maiorum pietatem non minus laudare quam mirari poterit. Sacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtatis Indignus Sacellanus et Eleemoſynarius Franciſcus Tayler.* Jam, quae *Codici* inſint, videamus. Initium facit *Evangelium Joh.* usque ad C. I. v. 14. Sequuntur *Lucas* a C. I. v. 26. ad 38. *Matthaeus* a C. II. ad v. 12. *Marcus* a C. XVII. v. 14. ad finem. Precationes ad B. V. duae. Officium Ejusdem. Officium de Paſſione Domini. Pſalmi VII. Poenitentiales cum Litaniis. Officium de S. Cruce. Officium de S. Spiritu. Officium pro Defunctis. Preces gallicae ad B. V. dictae *des quinze ioies*, et ad Deum dictae *les VII. Requeſtes*. Miſſae de S. Spiritu, de S. Cruce, quas inter *Folium* deficit, et pro Defunctis. Collectae ſeu Preces ad varios Sanctos, quorum ultimus *Albertus* O. Carm.

DCCCLXXII.

Codex membraneus lat. Sec. 974
XV. exeuntis, Folior. 422. 12. nitidiſſime exaratus, literis auratis, picturatis initiorum, multis etiam *hiſtoriatis*, marginibus compluribus vario ornatu depictis, omnibus vero ceteris mira animalium, monſtrorum, florumque ſeorſim ſparſorum varietate viſendus, praeterea Icones XLI. majores exhibens, quae omnia egregia Pictoris ars commendat, *Horarium* eſt, cujus conditionem Icon *fol.* 26. poſita manifeſtat. Siſtit illa Feminam Principem preces fundentem, adſtituto ſiniſtrae ejus tutelari Angelo, ad quem *Officium* infra ſcriptum dirigitur, dextrae vero *Johanne Bapt.* In margine inferiore leones Scutum tenent *Auſtriacoburgundicum*; in margine lateris idem Scutum repetitur ſubjecto ei Scuto regio *Hiſpanico*, inter quae vinculo quodam inter ſe nexae comparent aureae literae P. et I. quas interpretor *Philippus*, et *Johanna*, teneoque *Maximiliani* I. Imp. e *Maria Burgundica* filium, et *Ferdinandi Catb. Caſtellae* et *Arag.* Regis ex *Iſabella* filiam connubio junctos a. 1490. *Fol.* 288. iterum precabunda conſpicitur eadem Princeps; at vero hic *Johannes* adſiſtit *Apoſtolus*, ut adeo ab utroque *Johanna* dici voluiſſe videatur. Lemniſcos praeterea non omittam, qui priorem Iconem circumvolant inſcripti: *Qui vouldra*, et *Ie le veus*. Iam Ordo *Horarii* is eſt, ut praeeat *Calendarium*